

terpreteris: *Nunquam pes pervadavit, a durchwaten; et Str. VII. Treyb ober hor, quasi dimove de via, simile antiquato ober hor gehen, id est, evadere, ab aliqua re declinare. Mirum etiam Str. III. ubi ait: Tempus, Figuram et Locum in Deo esse Schach und Math, quo loco Commentator longam narrat fabulam de Imperatore in regione Bagada (Bagdad?) nomine Ymorlin (Timurlan?) ad quem de morte Filii Scaci consolandum Sochon Rex Babylonie majoris Ludum latrunculorum excogitavit, concluditque: Sicut scacus dictus est mattus id est mortuus (a מות Mors) sic tempus, forma, et locus ceteraque predicamenta de deo dicta penitus moriantur.*

Extrema Codicis occupant Aescetica quaedam connotata levis momenti.

## CCCCLII.

U. 105 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 81. 4. min. sat nitide exaratus, minio pernotatus, olim-

que, ut triplici testimonio cautum est, ab *Joh. Fabro* Ep. Vien. suo ad *D. Nicolaum* legatus Collegio continet spurium illud *Epistolare*, cujus prima Pars inscribitur: *Epistola beati Eusebij Cremonensis ad Damasum portuensem episcopum. et ad Theodonium Senatorem Romanum de obitu gloriosissimi confessoris beati Hieronimi doctoris eximij. et incipit: Multipharie multisque modis olim deus locutus est &c. Altera fol. 42. p. 2. Epistola sancti Augustini Episcopi eximij doctoris ad Cyrillum Jerosolimitarum Episcopum de laudibus beati Hieronymi doctoris eximij. et incipit: Gloriosissimi christiane fidei athletę. sanctę matris ecclesie lapidis angularis &c. Tertia fol. 49. p. 2. Epistola beati Cirilli patriarche Jerosolimitani ad beatum Augustinum Episcopum de miraculis beati Jeronymi doctoris eximij. et incipit: Illius. s. Jeronymi gloriosi cuius memoria erit in benedictione &c. Omisi praevias Formulas salutationum; adscribam tamen Τεριστοιχον ultimae praefixum, quod alibi non reperi:*

*Augustine pater genuit te bis tua mater  
Carne prius mundo. lacrimis christoque secundo.  
Cum prece sic ideo nos generetque deo.*

Pia haec Commenta dudum rejecere post *Erasmum* Critici. *Oudinus* T. II. col. 388. ea *Damaso* Ep. *Portuensi*, qui deinceps *Formosus* Papa Sec. IX. fuit, adscriptum ibat. Mihi multo recentior, at eo magis diditus partus videntur.

Nam mox sub *Typographiae* primordia pluries f. l. et a. edita sunt, et Editio *Patavie* (*Passavii*) per *Conr. Stabel* et *Benedicti* (*Benedictum Mair*) char. goth. 1482. 4. mihi adjacet Codici nostro plane conformis. Apud *Vallarsium* inve-

invenies inter *Hieronimi* rejectanea T. XI. col. 288.

Codici praetexta sunt Folia 2. Initium *Corn. Nepotis* Sec. XV. exhibentia, ea calami elegantia, ut, siquidem plus Operis extaret, infinitis Codicibus *Pseudohieronymianis* praefendum foret. Incipit vero Fragmentum: *Non dubito fore plerosque, Attice &c.* et in *Miltiade* his verbis abrumpitur primum folium: *Colonos uellent mittere, cuius ge* —. Folium alterum ab his *Themistoclis* verbis: *tudo nauium explicari non potuerit &c.* ad haec pertinet: *adire magistratus uoluit et dedit operam* —. Mendis non caret Exemplum; legit tamen in Prooemio: *tota fere fuit Graecia pro tota fuit Graecia; item nostris sunt decora omisso moribus; item et in hoc exponemus libro de uita excellentium imperatorum pro uitas excellentium imperatorum.* In *Themistocle*: *qua negarent oportere pro qua re negarent oportere, et muros instrui pro strui.*

## CCCCLIII.

U. 225 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 120. 4. probe scriptus, et hanc rubricam praefrens: *Iste libellus est dominorum stipendiatorum domus Rubee rose, continet Epistolam Eusebij ad Damasum Portuensem Episcopum de morte gloriosi Jeronimi &c.* Dein fol. 59. *Epistolam S. Augustini ad beatum Cyrillum Jerosolim. Episcopum de magnificentia ejusdem Jeronimi &c.* Demum fol. 70. *Responsum Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

*Cyrilli de laudibus* ejusdem, *Ψευδευριγαφα* illa et conficta, saepius in his Commentariis relata, et jam praedicto Seculo non semel prelo prodita.

## CCCCLIV.

Codex chartaceus germ. boh. R. 3029 Sec. XIV. Folior. nunc 208. f. per duas columnas non una manu, maximam tamen partem, luculente perscriptus, et coloribus, praefixaque rudi Pictura D. *Hieronimi* ornatus continet sequentia: I. *Trigam* illam *Epistolarum* de B. *Hieronymo* subpositam *Eusebio, Augustino* et *Cyrillo Hierosol.* saepius latine editam, et a me utroque *Vol.* relata, hic vero germanice versam ab *Johanne de Novo Foro* Ep. *Olomuceno*, cujus Praefationem, non possum, quin adscribam. *Der durchleuchtigen fürstinne vnd frauwen frauwen Elizabeth Marcgraffin czu Merhern meiner gnedigen sündlichen frauwen Enpeute Ich Johannes von gotis gnaden Bischoff czu Olmütz dez Romischen keyfers Cantzler Mein demütiges gebete In dem beyligen namen des almechtigen gotis. Gnedige frauwe! Seint den hohen lerer Augustino vnd dorczu die wirdigen Bischöff vnd gelerten meistir sant Eusebio vnd Cirillo düncket, daz menschen hertzzen menschen czungen vnd alle vorunst nicht vollensagen, odir bedencken mogen sant Jeronimus grozze wurdikeyt, damit in der almechtige got hat so mildiclich begabet, mit welcher kunbeyt schol ich seines lobes*  
Zzz